Scholae in Polonia.

Brodensis Colonia Academica 1 J.

Marcinkowski Ioannis (Ioannis Cynerski Rachtamovii); Pallas armata sive de beneficio literarum Oratio. 1637

Cynerski autor

IV

PALLAS ARMATA,

Adm. Rndo D. Paulo Herzio S. Th. D. Can. S. Annae, Custodi Patrono M. Joannes Cyrowski Radstanovius Observationis suae Symbolum d. c.

S I V E

De Beneficio Literarvm,

O R A T I O,

IN COLONIA ACADEMICA BRODENSI,

Q V A M

Illuſtriſſimus Dominus

D. S T A N I S L A V S

á Koniecpole

KONIECPOLSKI,

Supremus Dux Exercituum Regni,

CASTELLANVS CRACOVIEN.

Buſceñ. Bareñ. Pereſłauieñ. Kouleñ.

&c. &c. C A P I T A N E V S,

Literarum Academicarum propagator fauentiſsimus,

Literatorum Mæcenas, ac propugnator ampliſſimus,

M.

Pereximia liberalitate,
AC MVNIFICENTIA,
In patrio hæreditarioq́ue Solo
Erexit,
&
Excitauit;

HABITA

A

M. IOANNE MARCINKOWSKI,
Artium & Philoſophiæ Doct.
ELOQVENTIÆ PROFESSORE,
DVM
Primum ſuæ Profeſſionis Officium,
IN AMPLISSIMO
Illuſtriſ. Reuerend. Clariſſ.q;
HOSPITVM
Confluxu,
Auſpicaretur.

ANNO à PARTV VIRGINIS, 1637.
Die vltima Maj.

IN ARMA ILLVSTRIS. GENTIS.



Dicitur, Armorum Præſes, pietatis & altrix
Pallas; ſed Solea hoc, cum Cruce vtrumq; docet?
Florianus à Waſſicin Waſſicinſki.

Illuſtriſſimo ac Magnifico Dño,

D. STANISLAO
à KONIECPOLE
KONIECPOLSKI,

Supremo Duci Exercituum Regni, Caſtellano Crac: Buſceñ. Bareñ. Pereslauieñ. Kouleñ. &c. &c. &c.

CAPITANEO,

Dño & Patrono, Academicę Coloniæ Brodeñ. longè ampliſsimo,

M. IOANNES MARCINKOWSKI,

Artium & Philoſophiæ Doctor, Eloquentiæ Profeſſor, Brodeń. Athænei Director,

Salutem proſperrimam, & veram abſolutamq; de hoſtibus victoriam,

A DEO OPT: MAX: Supplex P.

NON peccaui Illuſtriß. Mæcenas, etiamſi non ſatis tempeſtiuè, Tuum produxerim in conſpectum perauguſtam Armorum, & Muſarum Præſidem, Palladem. Tuis

enim illa potiùs in Caſtris, officioſa laborum, bellorumq; Comes Tuorum, manebat; militares interea legiones diſponebat; exercitus parabat; arma, tela, militem, vna Tecum, dirigebat in hoſtem! vnde illam ob imminentem temporis tempeſtatem, Patriæq; immenſa pericula, minùs ſenſi obtemperantem mihi; quia magis fuit illa Tibi. Ergo poſteaquam fuſis, proſtratisq; hoſtibus, paceq; reddita, nos iam metu fractos exarmaſti, & ex aperto Martis campo, cohortes eduxiſti, Tuo in BRODENSI *Athenæo, ſecurus noſtram tandem contemplare Palladem. Enimvero illi antiquiſsimi & ingenioſiſſimi, veritatis arbitri, cæterorum quidem Deorum veſtes, certis tantum ſimplicibusq; tingebant coloribus (quippe Martis Sagum Sanguineo, Neptuni chlænam cæruleo, Apollinis Togam aureo, Vulcani tunicam ferrugineo colore, prout cuiuſq; officium, conditioq; exigebat, imbuebant) vni verò omnium Palladi, credo propter ſummam venerationem, quod eſſet ex Iouis Deorum Max. nata cerebro, varium multiplicemq; cultum concedebant. quam etiam Deam, per quam artificioſo penicillo depinxiſſe fertur Apelles: fronte nimirum quadra-*

ta,

ta, glaucis oculis, ſupercilijs uenuſtis, decenti viriliq; naſo, breuibus auriculis, labijs floridis, formoſa totius faciei lineamentorum compoſitione; erecta præterea ceruice, brachiis eleganter diductis, pectore tenerrimè adſtricto, cui tamen Gorgonis terribile impreſſum erat caput: & dextram quidem manum armauit haſta, ſiniſtram verò clypeo muniuit, ornauitq; oliuâ: Capiti porro ſupra virgineum peplum, addidit galeam criſtatam, & gallum gallinaceum cautillantem: pallam deniq; tanto, tamq; ſtupendo depinxit artificio, & tam ſubtili velut ſtamine reddidit intertextam, vt quicquid bellorum vnquam contigiſſet, vna in ipſius Chlamyde, variis coloribus adumbratum, expreſſumq; cerneretur: quin etiam ad pedes perſpicacem ſubiecit Draconem, & Epigraphen adiecit.

Armipotens belli Præſes, Tritonia Virgo.

Quorſum hæc ſpectant? Nimirum hic Tuus genius eſt, Illuſtriſſime Domine, hæc Tuarum Virtutum imago, hoc animi Heroici ſimulachrum, hoc veræ ſolidæq; gloriæ Tuæ monumentum! vt variis meritorum, rerumq; geſtarum colluſtratus vbiq; ncedas ornamentis! ERVDITIO equidem do-

ctrinaq;

ctrinaq; Tua, quâ primis ab annis, Academico in Lycæo Cracouień. imbutus es, his tandem in regionibus incultis, ab ingeniis rubiginem, à moribus ruditatem, ab animis squallorem, deductis Musis, in Coloniam Brodensem Academicis, abrasit, & detersit! Et hoc ingenuæ Palladis peplum, nónne preciosum est, sub gallea cristata? Vbi nos Tui Clientes, in nostris lucubrationibus diurnis, & nocturnis, gallum gallinaceum (vigilantiæ Symbolum) audire solemus cantilantem. VIGILANTIA porrò Tua, Illustrißime Domine, Cosachorum hisce temporibus, temerariam insolentiam, & insolentem temeritatem, coërcuit; domesticos motus sedauit, tumultus aggrestium perduellionum temperauit! & hic, quis alius est, nisi Imperatorius ille, Vigilantißimæ Palladis fulgor, & ardor oculorum? PRVDENTIA Tua, quæuis post discrimina bellorum, quæuis post pericula Reipublicæ superata, subditis solatium, Ciuibus decus, & amænitatem, incolis quietem, Patriæ pacem reddidit, & confirmauit! Et hæc Sapientissimæ Palladis est pinguis oliua. FORTITVDO Tua, toties ab hostibus opima spolia detraxit, Scythas fugitiuos acriter

casti-

castigauit, Abazy Bassæ, vecordem impetitionem animosè repressit & elisit, Turcæ immanissimi, auaram ambitionem, ambitiosamq́ libidinem, tempestiuè fregit, erectisq́ fortissimis, in CHODAKO *munitionibus, prouidè prudenterq́ retardauit. Et hæc nonne Tua dextera est, hasta, clypeoq́ Palladis abarmata?* RELIGIO *Tua Catholica, indole, candore, liberalitate, per laboriosa Sacerdotum asceteria, propagata, nonne omnibus, etiam perfidis tenebrionibus, satis luculenter innotescit? quàm cum omnes aliæ Religiosiss. PP. Familiæ, mitissimè suauissimeq́ loquuntur, tum disertissimè eloquuntur, recentissimi hoc seculo pietatis operarij, PP. S. J. per Te, in Barensi Ciuitate collocati! Et hi nonne sunt velut tenerrimæ pectus adstrictum Palladis? in quo tamen ferox, ac terribile, Gorgonis impressum est Caput! Scilicet vt isti officiosi prodromi, terreant in illis regionibus propè barbaris, innatâ morum acrimoniâ, inueteratam superstitionem; instillent incolis, durâ rigidâq́ ceruice præditis, apertam pietatem; expugnent iusta impetitione, & vel ipso horrendo sternant aspectu profundam diritatem; propugnent*

 diui-

diuinorum terrore Iudiciorum, minaciq; Zelo, infractam veritatem; arment, & obarment, atq; vel inter ipsos excordes Scythas promoueant, solidâ vitæ austeritate, tanquam nobilissimi vindices (quod quidem ipsorum munus & onus est hæreditarium) Religionem Sacrosanctam! Quid Patres, Fratresq; perantiquæ Familiæ SANCTI DOMINICI, quos Tuis impensis studiorum gratia, sæpissimè exteras in regiones, emittis atq; liberalissimè dotas? nonne sunt aures ingeniosæ? nonne vultus peramœnus sapientissimæ Palladis? Isti enim veri prædicatores, diuinorumq; mysteriorũ præcones, seris egregia Tua facta nepotibus narrabunt, prædicabunt, proclamabunt! Porrò testabitur quoq; Tuam PIETATEM Templum magnifico virendoque extructum opere, in patrio auitoque KONIECPOLE! testabitur illud auguratorium, Castissimæ Virgini Theotocon, ad eius miraculosam imaginem, in MISLEMICE! Et hæc nonne sunt elegantissima brachiâ, venustissimæ Palladis? Hæc enim Te Illustrissime Domine, Polonorum Poliq́ue Regina, hæc Orbis Imperatrix, grauissimis iuuit, & eripuit è periculis, hæc Te extre-

mo in

mo in discrimine bellorum rexit, & protexit! cum sit vera illa Turris Dauid, ex qua mille clypei dependent! Magna sunt hæc Illustris. Dn̄e, Tuæ pietatis monumenta, magna & illustria armisonæ Palladis ornamenta, & decora! quæ in Deum gloriosum, quæ in Patriam charissimam, quæ in viros, virtute & pietate ornatissimos, quæ deinceps in loca sanctitate & miraculis celeberrima, aut iam contulisti, aut apud animum Tuum duxisti conferenda! sed quæ sequũtur, an hisce videantur inferiora, nescio. Nam Palladis Supercilia venusta, Comitatem, & mirificam erga omnes humanitatē; decens virilisq́ nasus, generosam magnanimitatem; glauci oculi, rerum perspicientiam; labia florida, eloquentiam; ceruix erecta, grauitatem; frons quadrata, constantiam, & auctoritatem; summo Dynasta, fortissimoq́ Duce, id est, Te ipso dignā probant, atq́ denuntiant. Itaq́ Corpus Tuum animi peraugusti templum, excelsæ mentis sacrarium, mirabilem quandam & diuinam, Heroicæ indolis spirat maiestatem! Illi ipsi Turcici, Valachici, Scythici, Caduceatores & Sceptuchi, quos in rebus arduis Regni Poloni, per quam frequenter suscipis, magnificisq́ muneribus

ornas, illi inquam ipsi Feriales, Fecialesq́, quoties suo munere funguntur, & vultum Tuum intuentur, toties & sereni decoris amœnitatem, se diligere, & grauitatem in illo heroicam, se non posse non venerari, fatentur! totumq́ Tui corporis habitum, vt cæteris hominibus Maiorem, ita diuinis dotibus, superiorem obstupescunt? Sed illa quid denotat Tritonia Virgo, quæ Draconem ante pedes habuit, colore luridum, oculis scintillantibus perspicacem? Nimirum Othomanicum Tyrannum, quem furentem audacia, huic Regno florentissimo, pestem nefariè molientem, spirantem vecordiam, scelus anhelantem, necem Ciuibus nostræ Patriæ, palam minitantem, etiam in Byzantino nouus hospes Tulliano, (prudentissimo consilio, Magnanimi vindicis, atq; Ducis, Christophori ZBARAVII, qui illa tempestate, Fecialis autoritatem, Regniq; Poloni incolumitatem tuebatur) penè prius suffocasti, prostrauisti, quàm in illius conspectum venisti. Ergò hæc Tua Illustrissime Domine, clarissima facinora, Tuas virtutes, vnicus, qui Tuorum lineamentorum viuam veramq́ gerit imaginem, Filius intueatur; & dum per ætatem licebit, imitetur: cui Tu

pius

pius Æneas, paruo Iulo, frequenter ingerere potes, illud acroäma Poëtæ.

Disce puer, virtutem ex me, verumq; laborem
Fortunam ex alijs. - - -

Quanquam quod attinet Fortunam, hanc quoq; virtute, rerum bellicarum scientia, artis Geometricæ solertia, animi magnitudine, atq; prudentia vicisti, superasti! Cuius proteruiam, sæpe alienis ab exemplis, quæ ex monumentis annalium, Tuum in vsum deducere soles, correxisti! militum furorem, eloquentia temperasti, auctoritate sedasti! hostium impressionem, labore, perseuerantia, vigiliis, sustinuisti, repressisti! Vidimus præsentes & oculati testes, & experti sumus luculenter, quæ fuerit superiori anno (vt sexcenta rerum à te gestarum omittam exempla) Tua in Patriæ propugnatione fides! quæ alacritas in milite congerendo, quæ celeritas in agendo, consilium in prouidendo! dum illis ipsis diebus Bachi, quibus pleriq; omnes genio indulgere, feriariq; solent, Te præsentem, vigilantem, armatum, thorace adamantino grauatum, sub dio, & inter niues ac frigora acerrima, in acie, die nocteq; fortissimè pugnantem, illa ipsa immaniss.

Scytharum colluuies, innumerabilibus circumfusa legionibus, vidit & obstupuit! Ingens auxiliante Deo, illa in acie, facta est strages barbarorum: vix aliqua pars latronum, celeri fugâ sibi consuluit: Nimirum Sarmatice Epaminunda, Tuus labor, nostrum est ocium; Tuæ dimicationes, nostra salus; Tua prælia, victoriæ; nostra pax, & securitas? Itaq; omne genus bellorum, in Tuæ Palladis Chlamyde, diuersis coloribus depictum est, & expressum! atq; tanto artificio elaboratum, vt nullius fuerit tàm fælix ingenium, nulla tanta dicendi vis, & facultas, quæ Tua merita, prælia, victorias, triumphos, non dico sufficienter enarrare, sed vel leuiter demonstrare posse videatur! Non æquasti, sed longis parasangis superasti, Fabium Cunctatorem, *Prudentia;* Epaminundam Thebanum, *Vigilantia;* Leonidam Spartanum, *Fortitudine;* Marcellum animosum, *Animi magnitudine;* Atilium Regulum *Iustitia, & hostibus etiam seruata fide;* Æneam Troianum, *Pietate;* Scipionem Africanum, *Religione;* Vltorem Camillum *fælicitate, superasti! Meritò igitur Tibi Illustrissime Dñe, hisce tàm variis coloribus, ab ingeniosa anti-*

quitate

quitate pictam, Tuis verò meritis immortalibus expressam, PALLADEM ARMATAM *dedico, & consecro: quæ digna sit, vt in Tuo* BRODENSI *Athæneo, per Te collocata, intacta & illæsa, æternùm conquiescat. Et nos quidem Tui Illustris. Dñe clientes, & alumni, nos Tuæ Palladis prouidi Custodes, & Musarum Sacerdotes, in hoc* BRODENSI *Palladio, dabimus operam diligentem, vt Tuæ illustri respondeamus expectationi. Tu rebus gestis ingentibus copiosam nobis segetem gloriæ suppeditabis, quâ hoc in Sacrario, Magnanima Pallas maximè foueatur, recreetur. Nimirum* ——— alterius sic,

Altera poscit opem res, & coniurat amicè.

Nos gallorum cantus, ad laboriosas lucubrationes, te buccinarum sonitus ad prælia & dimicationes suscitabunt. Nos in pectoribus Generosæ Iuuentutis, bonam famam, tanquam flammam, bonis literis & præceptis, excitabimus ad imitationem: Tu pro libertate, pro Aris & focis patriis fortissimè, vt soles, depugnabis. Nos cauebimus, ne nostri Academici Quirites, à quibus nomen, famam, originem deducimus, vel minima negligentia, vel simul-

tatis

tatis suspicione offendantur: Tu ne vrbes, vel propugnacula CHODACENSIA, aduerso impetu barbarorum, rapiantur. Nos in liberalibus disciplinis, Tu in finibus propagandis, hostibus oppugnãdis, & arcendis, inuigilabis, desudabis. Nos deniq; quod nostrum concernit officium Tuo desiderio, Tuis votis, pro virili respondere, conabimur. Tu nos Illustris. D. Tuo ut cæpisti patrocinio foue, beneuolẽtia erige, autoritate protege atq; adeò Almam, altricem ingeniorum Academiam Crac: unde sumus euocati, singulari beneficio orna, & tuere: ut & illa fæcunda parens Filiorum, candore, ingenio, eruditione præstantiũ; & nos alumni, clientesq; Tui, apud Deum Opt: Max: vt Te fælicem & fortunatum bellatorem, fortissimum Poloniæ propugnatorem, acerrimum legum & Libertatis vindicem, fælicissimũ hostium Triumphatorem, quàm lõgissimos in annos, vna cũ Illustris. Benefactrice nostra munificentissima, cumq; Filio charissimo, & Familia nobilissima, nobis, Patriæ, Ecclesiæ, seruet, regat, protegat, tueatur, plaudente armata pallade, & Apolline dextro, Musisq; fauentibus, iunctis vtrinq; votis ardentissimis comprecemur.

BENEFICIVM.

LITERARVM.

NOVAM & ante hanc diem inusitatam mihi dicendi prouinciam, hac in recente colonia Brodensi, non tàm aliqua mea ambitione attentatam, (quæ procul abest à meæ naturæ modestia) quàm potiùs clarissimorum in Academia Cracouiensi Virorum voluntate, quorum apud me plurimum valet, & valere debet authoritas, in has oras transmissus, aggredior, Illustrisime Domine, Perillustres & Magnifici Hospites, Admodum Reuerende Domine Præposite, Religiosissimi, deuotissimi, Sanctissimi nominis IESV Socij, Ecclesiastæ Reuerendi, amplissima nobilisimæ Aulę corona, Consules peramœnæ hujus Ciuitatis clarissimi, juuentus nobilissima, vosq; cæteri quotquot ade-

ſtis Auditores humaniſſimi : ſed vereor & vehementer exhorreſco, ne rei magnitudine, recentiſq́; beneficij dignitate depreſſus, ante confundar & obruar, quam portum auſpicatum dictione mea poſſim attingere. Quæ enim vel eloquentiſſimis viris ad dicendum accedentibus, timorem incutere ſolent maximum, ea contra me pugnare videntur vniuerſa: inprimis hujus loci inſolens nouitas; deinde beneficij recens collati magnitudo; tùm Hoſpitum nobiliſsimorum conſpectus ampliſſimus, atq; ipſa Auditorum celeberrima & inuſitata frequentia; quæ ſingula ſummam mihi trepidationem inferunt, & non ſine terrore ante oculos obuerſantur. Siquidem ego conſcius meæ tenuitatis, tantā tamq́; incredibilem liberalitatem Tuam Illuſtriſſime Domine, quam erga Patriam, erga bonorum ingeniorum altricem Academiā, erga hanc Tuam hæreditariam poſſeſſionem, erga bonam liberorum ciuium inſtitutionem, atq́ue omnem poſteritatem, teſtari voluiſti, ſatis ſufficienter explicare non valeo; virorum tamen grauiſſimorum, qui præſto adſunt authoritas, ſplendidum aliquod à me, magnificumq́; genus orationis

tionis

tionis in primo præſertim aditu, tacito quodam conſenſu requirit ac deſiderat. Quid igitur agam? quo me vertam? aut quod, & à quibus, in his præſertim regionibus, homo ignotiſſimus, conſilium petam? Omnino enim hic exareſcet, & euaneſcet, meus omnis orationis genius, atq́; ſpiritus (qui mediocri rerum vſu, dicendiq́; exercitatione non ſatis exquiſita, temperatus eſt) niſi veſtra ſingulari humanitate, veſtra benevolentia, Illuſtriſsime Domine, Hoſpites nobiliſsimi, ad dicendum erectus fuerit & excitatus. Quo veſtro beneficio ſingulari confirmatus, jam tandem quam breuiſsima & ſimpliciſſima dictione mea, quam in itinere conflare potui, oſtendam, quantum decus, quantum ſplendorem, quam gratiam & gloriam, hoc maximè tempore, beneficio literarum, Polonia noſtra ſit conſecuta: vt inde augurari cuiq́; liceat, quantum ſubſequentibus temporibus emolumentum, hoc ipſum recens Athenæum, Tua Illuſtriſſime Domine liberalitate erectũ, debeat expectare. Neq́; verò ſingula hujuſce rei momenta, quæ propemodum infinita ſunt, perſequar, ſed more ingenioſorum pictorum, qui in

breui tabella, extremis quibuſdam lineis, orbem notant vniuerſum, procedam, & ſumma tantum faſtigia attingam, quæ Vos Auditores nobiliſſimi, prudentiſſimis veſtris judicijs, copioſiſſimè diſcernere poteſtis.

Quantum enim hoc beneficium eſt, quod literarum gratia ſumus aſſecuti? Illud Poloniẹ nomen obſcurum, horridum, horribile, ad amœniſſimam gloriam eveximus, barbariem incultam proſtrauimus, jura humanitatis inuenimus, veram liberalitatem didicimus, hauſimus eruditionem, intelleximus eloquentiæ dignitatem, proueximus pietatem, religionem propagauimus, & ornauimus ſacroſanctam! abraſimus ab ingenijs ſitum, & ſqualorem, ab animis ignorantiam, à moribus fœdam illam & ingratam ruditatem! Antequam aſpexiſſet regiones has, benigna Minerua, manſit hîc profunda rerum omnium confuſio, atq; turpitudo; nunc lucẹ ſapientiæ, fulget Senatus, ſplendet equeſter ordo, nitent arma, ornatur Religio, viget inuiolata ſanctitas. O miram vim literarum! quẹ pacem ornant, leges condunt, mores condiunt, Senatus conſulta prudentiſsima

perſi-

perficiunt, auream libertatem confirmant, bella mouent ingenioſiſſimè, acies inſtruunt artificioſiſſimè, parant victorias glorioſiſſimas, augent triumphos pulcherrimos! Quæ enim ſub Sole Prouincia clarior eſt libertate, noſtra Polonia? quæ nullius Dominatoris ſeruile jugum eſt experta? quod imperium nobilitate fortiùs atq; illuſtriùs? quàm noſtrum Polonum? quod legibus magis firmum munitumq́; Regnum, quàm hoc ipſum noſtrum Polonum? Noſtra Polonia eſt Catholicorum Regnorum gem̃a, vera nobiliſſimorum ciuium Patria, aſyllum dignitatis, templum libertatis, propugnaculum Orthodoxæ fidei, Romanæ Eccleſiæ fideliſſima alumna, propugnatrix fortiſſima, propagatrix addictiſſima: antemurale Chriſtianorum imperiorum, juſtitiæ, fortitudinis, prudentiæ, immortalitatis, gloriæ, ſuis in ciuibus officina. Neq; verò mihi quiſquam illam veterem Poloniam (ſi Poloniæ nomen habere poteſt) producat in conſpectum, cujus erant gentes barbaræ, obſcuræ res geſtæ, dubia origo? Illi ipſi notiſſimi in Orbe Scriptores, in his regionibus, neſcio quos Gelonos, Iazigas, Beſſos, Vandalos,

Gotthos, viperiniſq́; ferocientes oculis Sauromatas fuiſſe memorant; quorum populorum, nomina tantum in monumentis literarum reſtant. Laborant de primis initijs noſtræ gentis grauiſſimi Cenſores antiquitatis, ſudant vehementer authores veritatis, neq́; certi quicquam in lucem poſſunt eruere. Multi pro rebus geſtis, fabellas, & vana ſomniorum deliramenta arripiunt, vmbras ſequuntur non virtutes, fumum prenſant non famā, & ſe tamen ſolidam veritatem putant inveniſſe. Multa ſunt ficta nomina Principum, multa triſti obliuione ſepulta, multa jacent in tenebris, infinitæ ſunt res geſtæ, quæ ignoratione ſempiterna premuntur, obruuntur. De Religione præterea pudet dicere, incultæ & feroces gentes, incultos & aggreſtes ritus fouebant, nullus illis fuit Dei veri cultus, non fides, non pietas, non jus ſacroſanctum, illorum animos imbuebat: non in templis, ſed in ſyluis, ac nemoribus, non in aris, ſed in arundinetis, & ſenticetis, illi Conuiuiorum Dij, Lelli, Polelli, Pochuiſtones, Piorunij quærebantur, & non inuenti colebantur, & adorabantur! Qui fuerint tum cœlo adſcripti Indigetes? Ieſſa, Lada, Polada,

lada,

lada, Nia, Marzana, Sinbus, Chorſus, Zezililia, Dzieuanna, cæteraq́; fœda conſceleratæ ſuperſtitionis nomina, quibus annoſæ quercus, fagi veteres, arbores frondoſæ, luci minimè lucentes, conſecrabantur. At enim ſine præſidio literarum, ab illis Sarmatis, bella maxima confecta ſunt? Domuerunt illi indomitas & victorioſas nationes, fregerunt vires ampliſſimorum imperiorum, luſtrarunt Italiam, terruerunt victricibus armis nobiliſſimas vrbes, everterunt & in cineres redegerunt, Ducem & caput Orbis illam Dominatricem Romam, multa deniq́; fortitudinis exempla, in orbe reliquerunt vniuerſo. Scio ego quantum ſit laudis, armis tribuendum, novi veterum Sarmatarum ingentia bella, legi immanes victorias, formidoloſos triumphos intellexi, & benè perſpexi, ſed tamen an juſta illa fortiaq́; arma fuerint, neſcio: vnum illud ſcio, neminem niſi qui verum virtutis guſtum habeat, de virtute commodè diſputare poſſe. Virorum & virorum ingenio, prudentia, authoritate præſtantium hoc proprium munus eſt, veram vim indolemq́; virtutis agnoſcere, inueſtigare latentem in periculis forti-

tudi-

tudinem, dare Ducibus gloriam, excitare famam
gentium, ad poſteritatis admirationem, retinere
homines in libertate. Multarum virtutum no-
mina tantum retinemus, quæ inter ſe oppoſitis
& pugnantibus ſcopulis ſunt diſcreta & circumſe-
pta; ſummum jus, eſt ſumma injuria; ſæpè non ca-
ret calliditate prudentia, fortitudinem proximè
ſcelus & audacia comitatur. Non eſt ſine tacita
titillatione liberalitas, non ſine faſtu magnanimi-
tas, non ſine prodigalitate magnificentia; diuini-
tatem ipſam, Heroicus animus prenſat atq; pulſat.
Et patientiam (inquit Suadæ medulla Tullius)
comitatur ſtupor, & religionem ſuperſtitio, & le-
nitatem mollitia animi, & verecundiam timidi-
tas, & illam diſputandi prudentiam, concertatio
captatioq́; verborum, & hanc Oratoriam vim,
inanis quædam profluentia loquendi. Inter ſa-
pientiſſimos homines quanta deniq; ſolet eſſe de
mediocritate virtutis concertatio, quantus de feli-
citate labor? Magnus orbis domitor Alexander
vulgo Macedo dicitur, at hic non victor ſed ty-
rannus, non juſtus bellator, ſed auarus deprædа-
tor, orbis latro, pyrata publicus, conſenſu grauiſ-
ſimo-

ſimorum virorum eſt judicatus. Iulius ille Cæſar, Dictaturam ſibi ꝑpetuam rapuit, vt pretium faceret ſeruituti; Faſces præoccupauit imperij, vt impotentium, & liberorum ſanguine ciuium, veram extingueret libertatem. Hæc quæ armis paratur gloria, odioſa eſt, periculoſa eſt, quia cruditate & crudelitate priùs ſanguineq́; hominum imbuta eſt, quàm juſta honeſtaq́; victoria paratur. Multis illa fuit exitio, multis interitum attulit, & calamitatem. Quæ vera fortitudo barbaris, qui proteruè non prudentèr, crudelitèr non ſapientèr, arma tractant? apud quos faſtus non virtus, dolus non ingenium, non jus, ſed vis habet locum: non lex, ſed mucro, non rationis, ſed corporis robur probatur. Monſtra illa fuerunt non homines, qui diritate, immanitate, ſcelere, obarmati iſtam ſibi gloriam quęſiuerunt. Latrocinantium more, depopulati ſunt populos pacatiſſimos, inuaſerunt imperia florentiſſima, defœdarunt Regna pulcherrima, contrucidarunt ad internecionem incolas innocentiſſimos, atq́; vt vno verbo complectar omnia, barbari fuerunt, barbariem ſpirarunt, auxerunt, promouerunt. Gaude-

bant cædibus, furebant immanitate, viuebant rapinis, triumphabant latrocinijs, sanguinem humanum sitiebant, sorbebant, hauriebant. Sic Scythæ sunt formidolosi, sic Turcæ dolosi, sic truculenti Moschi, sic Parthi feroces atq; fortes. Refugit animus, eaq; reformidat dicere, quæ meminisse sine lachrymis non possumus, quam infeliciter ac turpiter Gotthorum, Visigotthorum, Ostrogotthorum, Hunnorum, Vandalorum, Bulgarorum, tùm facta, tùm nomina Rempub: Romanā afflixerint, deleuerint, euerterint! Sexies ab hac hominum fæce, & colluuione obsessa, vexata, expugnata, capta, direpta, spoliata, incensa, lux orbis terrarum Roma. quoties immanes illæ furiæ, in sanguine nobilissimorum ciuium, atq; in cinere constiterunt deflagrati imperij; toties versantur mihi ante oculos, infestæ illæ ac funestæ faces, in pulcherrimas domos, & antiquissima tecta, conjectæ, fortunarum direptiones, militum concursationes, fugæ puerorum, vexatio virginum. Cæduntur per vias exacta senes ætate, infelicia viuentium cadauera; diuelluntur, ac distrahuntur è cōplexu Parentum liberi, Matresfamilias ad prædam

atq;

atq́; ad libidinem abducuntur:infantium ploratu, fœminarum lamentatione, morientium gemitu, clamore barbarorum, tectorum fragore, ac ſtrepitu concidentium omnia perſonant: perſtringit oculorum aciem, diſtrictorum acies gladiorum, & fulgor multa cæde rubentium. Cerno animo ſepultam Romam, inſepulta corpora ciuium, in ſuo cruore natantium! armis, flammis, cinere, cadaueribus, ſanguine, luctu, omnia complentur! Nimirum illa vrbs, quæ totius orbis terrarum erat extructa victorijs, opimis adornata ſpolijs, ita corruebat, vt ſuis ipſa populis, exitium fieret, & ſepulchrum. Hæc te meditari oportebat quiſquis es, qui illam fortitudinem Sarmaticam ſuſcepiſti laudandam. Hæc igitur eſt vera gloria, quæ à literis, ab humanitate, virtute, religione promanat. Nunc pius, prudens, non vertiginoſus Senator, de libertate, fortis non ferox eques de legibus, induſtrius & doctus miles de armis, vigilans ſatelles, de continentia, laborioſus colonus, de agricultura, jure ſuo, id eſt, liberè & liberalitèr ſentiunt, & loquuntur. Non quæritur, ſed præſto habetur, non nemo Imperator, non ſolum rei militaris peritia, ſed etiã

ſanctitate, innocentia, fortitudine, fide, æquitate, glorioſus. Vnde hoc tantum beneficium, nónne à literis conſecuti ſumus? à literis pietatem didicimus, à literis clementiam, ſapientiam, magnanimitatem, fortitudinem, à literis veram gloriam, & nominis immortalitatem hauſimus, accepimus, poſſedimus. Non propugnaculis munitiſſimis, non altiſſimis ſubſtructionibus turrium, non arcibus potẽtiſſimis; ſed prudentiſſimorũ ciuium noſtrorum, pectoribus fortiſſimis, à finibus Patriæ arcemus barbaros, reprimimus ſceleratos Turcas: noſtris armis fugamus, fugitiuos Scythas, noſtra prudentia ſuperamus produelles Moſchos, ac feliciter de omnibus hoſtibus triumphamus. Mirantur noſtras victorias, vicini populi, timent fortitudinem barbari, laudant Principes Chriſtiani; legunt ſtudioſe res geſtas exteræ nationes, ſuſpiciunt, & honorificè emittunt in lucem, noſtrorum ingeniorum pulcherrima monumenta. iſtud verò ingens eſt beneficium literarum. Literæ nos gentibus ad admirationem propoſuerunt, literæ Senatores prudentes, bellatores felices, triumphatores inſtruxerunt admirandos. literæ nomen Polo-

num

num hoſtibus terribile, Socijs gratum, extremis etiam Perſis, atq́; Indis reddiderunt memorandum! vt illa Polonia, quæ olim velut quædam vrbs Bononia dicebatur, illa inquam Polonia, nunc diues ingenijs, rebus geſtis mirabilis, literis potens & armis, omnium gentium linguis, ac laudibus celebretur! vt vel inuidi ſentiant eius felicitatem, & eximiam Dei glorioſi recognoſcant benedictionem. Obturet impudens os, grauiſſimus ille (ſi Dijs placet) arbiter veritatis, ille Satyricus Ephormio, qui tenellas virgines Muſas, tentauiſſe etiam Sauromatas, & Polonos, ſed in ipſo limine, ſæcularibus niuibus inhorruiſſe, greſſumq́; repreſſiſſe ſcribit. Nā diuino beneficio, quę diù peregrinata eſt, per orbem vniuerſum, ſibi ſapientia, fixit ſedem in Polonia: fauet ingenijs noſtris Apollo, fauet Minerua: docta Themis, confirmauit nobis pietatem, pietas auxit fortitudinem, fortitudo tantam gloriam & immortalitatem conciliauit Polonis, quantam vix cujuſquam mens capere poſſit. Sit nobis teſtis Germania, Italia, Gallia, cæteriq́; vicini populi, quid de nobis ſentiant, teſtentur; qui his annis noſtra conſilia probant, li-

 tes

tes grauiſſimas,noſtrorum judicio Ciuium componunt, legationum ſplendorem, atq; pomposam magnificentiam mirantur, ſuſpiciunt eloquentiam, ſtupent prudentiam, concordiam noſtro arbitrio decernunt, pacem conditionibus à nobis acceptis,firmant ac reficiunt. Quam amplum hoc & glorioſum bonum, beneficio literarum acceperimus, ille non videt, qui ſuperiora tēpora non inſpexit! Rariſſimi olim,è noſtra gente Præſules, ante erectam Academiam,rariſſimi Sacerdotes, rariſſimi homines periti literarum, ægre admodum (fateamur enim quod in re eſt ingenuè) illi exterarum nationum Viri, qui in hæc loca,à Summis Pontificibus mittebantur,ab animis ſtuporem, diligentia, vigilijs, aſſiduitate, abſterſerunt. Primus in noſtra Polonia Religionis ſemina jecit,ille D. Adalbertus,qui ſacroſancta myſteria, jejunijs, concionibus, vitæ auſteritate, comꝓbauit, hìc inter querceta & dumeta, inter teſqua ſalebroſa, diuina oracula prædicauit. Ioannes Dlugoſſus,qui ſuis monumentis, illuſtrauit res geſtas Polonorum, ſuis temporibus, ex Italia velut ſummæ eruditionis theſaurum, in has orás attulit

Iuſti-

Iuſtinum, Florum, Curtium, & quædam Ciceronis, & Liuij Opuſcula: at his temporibus, miramur in Polonia, neruoſos Tacitos, ſententioſos Salluſtios, floridos Floros, copioſos Tullios, graues Liuios: ſtatim enim à prima ætate, hi Authores, à noſtris adoleſcentibus leguntur, diſcunturq; dilitentèr, vt nouos ipſi in maturiori ætate cudere poſſint. Quis pro dignitate enumerauerit, illa magna nomina doctiſſimorum, & de Patria meritiſſimorum Ciuium? illos inquam LASCIOS linguarum peritia celeberrimos? NICOLAOS DE KONIECPOLE, Caſtellanos Cracouienſes, literarum, virtutumq; ſplendore eminentiſſimos, qui laureas etiam Academicas, in Alma Vniverſitate Cracouienſi ſuſcipere, non ſunt dedignati? NICOLAOS à VISNIC COMITES, doctrina & eruditione inſigni præſtantiſſimos? NICOLAOS à THECZYN, Caſtellanos Cracouienſes, in facultate Oratoria excellentiſſimos? VCHANICIOS, TOMICIOS, KOCHANOVIOS, VAPOVIOS, NOVICAMPIANOS, DRESNEROS, HERBVRTOS, HERBESTOS,

TOS,

TOS, PAPROCIOS, OCIESCIOS, & alios ſexcentos, ingenij bonitate, eruditionis præſtantia, eloquentiæ fama, ſcriptorum elegantia, carminis cultura, virtutum ſplendore, morum grauitate, vitæ puritate, in orbe celeberrimos vniuerſo! quorum nomina, in Annalibus æternitatis vigent, fama cœlos ſuperauit! Ergo fruſtra nobis inuidet, glorioſam eruditionem, veterator ille, ex contagione Gallica, & argilla Belgica conflatus, fruſtra derogat, laudibus gentis Sarmaticæ, obtrectator Thomas Lanzius, fruſtra ille ſine nomine tenebrio, Satyricam exercet Sannam: hanc nobis concedit gloriam LIPSIVS, re & nomine juſtus; hanc commendat diſertiſſimus MVRETVS, laudat MANVTIVS: quam præterea excitarunt ZAMOSCII, erexerunt LVBRANSCII, promouerunt OPALINSCII, ornarunt COMITES ROZDRAZEVII, pręmijs, & domicilijs ZBIGNEI OLESNICII auxerunt, NOVODVORSCII, CRITY, VLADISLAVII, cæteræq; immortales animæ, quæ in viridarijs amœniſſimis, Academiæ noſtræ, ſapientiam educarunt. Sed hæc tanta glo-

ria

ria, inprimis adſcribenda eſt VLADISLAO IAGELLONI, excitatori Lycæi Academici, & optimo Parenti. Hic ampliſſimis bñficijs, gentem Polonam, vſq; ad inuidiam cæterarum gentium, erigere cæpit, hìc primus Muſas in Sarmaticum Parnaſſum euocauit, vt jam docta poſteritas, nemini primas concedat, ſiuè quis rerum geſtarum gloriam, ſiuè ingenia, ſiuè pietatem, ſiuè eruditionem contempletur! Et cui potiſſimum adſcribendum eſt recuperatæ decus pietatis? cui potiſſimum in acceptis referendum? quod illa peſtis infernalis Hæreſis, à Patria expulſa ſit? nónne Viris Academicis, defenſoribus & Patronis, veræ Religionis, ingenio, pietate, eloquentia, clariſſimis? vita integerrimis? illis inquam HOSIIS ſanctitate, innocentia, authoritate præſtantiſſimis? KARNKOVIIS feruentiſſimis, SOLIKOVIIS prudentiſſimis, SOCOLOVIIS laborioſiſſimis, GORSCIIS diſertiſſimis? qui eodem omnes ſæculo vixerunt, aduerſus eandem furiam, pro aris ſacroſanctis, pro auita religione, in acie conſtantiſſimè ſteterunt, fortiſſimè dimicarunt. Quis illius temporis, ſine dolore & la-

chrymis meminisse potest Auditores? ardebat hac seditionis flamma Germania, prostrata jacebat Hungaria, in præcipitium ruebat Gallia, nostra quoq; periclitabatur grauissimè Polonia: templa erant diruta, aræ sanctissimæ euersæ, religiosissimæ ceremoniæ neglectæ, & contemptæ: Præsules alij metu confusi, alij dolore consumpti; Senatus incautus, & luxui ac socordiæ indulgens; ciues nouarum rerum cupidi, vulgus in errore pertinax; tota Reipublicæ facies, plena miseriæ, plena erroris, miserationis; misericordia ob ingratitudinem, indigna: cùm illi Viri doctissimi, sum̃a cùm sollicitudine, & submissione animorũ, manus ad cœlum pro populo leuabant, nocturnis vigilijs & lucubrationibus incumbebant, libros diuinorum mysteriorum plenissimos, in vulgus spargebant, Principibus offerrebant, consecrabant, obsecrabant, orabant, obtestabantur, memores essent auitæ Religionis, memores diuinorum beneficiorum, memores Regni afflictissimi, memores libertatis. Non hoc quidem portentum, statim exterminatum & excussum est, sed illius tamen fauces oppressæ, ne palam virus suum euomeret con-

tra

tra veritatem. Pugnauit igitur acriter contra illius vecordiam, prudentia doctiſſimorum Virorum, contra diritatem modeſtia, contra perfidiam pietas, & fortitudo pugnauit. Hucuſq́; bellis ardet Germania, depreſſa gemit, jacetq́; plena doloris Hungaria, neq; caput illud aureum, ſub ſeruitutis jugo grauiſſimo, poteſt erigere; at diuino beneficio, fruitur tranquillitate noſtra Polonia. Nihil in ea fraus valuit, nihil dolus malus profuit, nihil ſcelus ambitioſum, nefandaq́; importuniſſimorum ciuium libido: non jã faſtus, ſed vera fides regnat, non error, ſed pietas viget, non turpiſſima Hæreſis, ſed Orthodoxa Religio dominatur. Prudentiſſimi & eloquentiſſimi Viri, ſaluberrimo conſilio, authoritateq́; ſua, illius furiæ conatus fregerunt, vires oppreſſerunt, vim omnem ac impreſſionem eliſerunt, eluſerunt, profligarunt. Iam illi Geryones perfidi, illi Briarej immaniſſimi, illi Ciclopes peregrini, qui cœlum ipſum expugnare conabãtur, Stãcari ſceleratiſſimi, Vinclephi mordaciſſimi, Caluiniſtæ, Huſſitæ, Zuinglij perditiſsimi, Fritij fallaciſsimi, Crouitij fœdiſsimi, luce vitaque indigniſsimi, cæterique ex eadem fæce

conflati produelliones,non jam audiuntur in terris, gemunt, dolentq́; in altiſsimum barathrum detruſi ac præcipitati. Habetis ſummum beneficium Auditores, literis poſtliminio reuocatam pietatem, reſtitutam Regno Religionem Catholicam,templa erecta,aras refectas,& ornatas,infinitas mortalium animas,è faucibus Erebi ereptas, ciues Patriæ recreatos. Quid dicam,de illa prudentia,quæ in Rebuspublicis tenet principatum? qua Reges regnant, Principis imperant,& potenter decernunt juſtitiam, ex quo illa fonte promanat, quibus præſidijs nititur? Sæuit tempeſtas in res humanas, ferociunt bella, feruent tumultus, literarum tamen,in omni temporis tempeſtate,eſt vſus longè maximus. Quaſi verò prælia,ſine literis geri poſsint? cùm eadem Pallas,& ſapientiæ Dea, & Præſes bellorum,ab antiquis celebretur. Muſæ Sarmaticę,non ſolum gladios in pugna,ſed etiam ſtylum in pace,ſtringunt in hoſtem! Muſæ Sarmaticæ prodeunt in aciem, caſtra metantur, modum rationemq́; bellorum præſcribunt, deſcribunt victorias, notant, vel faciunt triumphos! Neq́; enim ſatis feliciter arma tractantur, niſi ad-

ſint

ſint illa, quæ plurimùm à prudentia petuntur, prę-ſidia, conſilium, ordo, pecuniæ, animi præterea ita ratione temperata magnitudo, vt ſicubi periculum occurrat, metus, pariter abſit & temeritas. Adminiſtrauit armata Pallas, prudenter in caſtris Sereniſsimi VLADISLAI IV. Bellatoris, victoris, ac triumphatoris potentiſsimi, Domini noſtri clementiſsimi, literarum Academicarum vindicis, fauētiſſimi, negotiū bellicū; illa inquam ingenioſa & armata Pallas, elegit cāpos, occupauit montes, conjunxit nemora, conſedit ad fluuios, maximè rebus gerendis opportunos. Non fortiùs Cæſar, cum Pompejo, ad Pharſalum, quàm noſtri exercitus, aut in Moſchos, aut in Oſmanum pugnauerunt! directæ acies prudentiſsimè, repreſſæ impetitiones hoſtium fortiſsimè, oppoſiti cunei, per latera artificioſiſsimè, ſeruatus ordo, obſeruatæ vigiliæ, euitata ſtratagemmata, cùm eſſet opus deductæ cohortes, ac deinde in quincuncem coarctatæ, ac reuocatæ. Non ingenioſior Euclides, in ſuis dimenſionibus, non prudentior Vegetius, in præceptis militaribus, non Onoſander, in ſtratagemmatis potentior, non defen-

ſor Syracuſarum Archimedes, machinis Mathematicis mirabilior, quàm noſtri Duces, in prælijs aduerſus hoſtes fuerunt? Oſyris ſiuè Dionyſius, cùm exercitum duceret, ſuis in caſtris egregias nouem virgines, quæ Muſæ poſtea nominatæ ſunt, habuiſſe dicitur, perfectas in Muſicis, omniq́; rerum ſcientia & virtute ornatiſſimas: harum ſcilicet varietate, & ſuauitate cantandi, Rex ille ſapientiſſimus, à tanto illo armorum ſtrepitu, ac tubarum ſono, auocabat animum, interdum eum vt relaxaret, & honeſtiſſima voluptate frueretur. Hoc ſanè Comitatu virginum, doctiſſimi viri, literarum, bonarumq́; diſciplinarum vtilitatem, ẽt in ſummo bellorum diſcrimine, ac ſtrepitu armorum, neceſſariam docuerunt. Dignæ igitur ſunt literæ, quæ ob tanta beneficia, diligentiſſimè colantur, digni literati Viri ſunt, qui ob ſummos labores, quos in literis promouendis ſuſcipiunt, amentur, honorentur, erigantur; qui ad ſeram poſteritatem res juſtè, prudentèr, gloriosè confectas tranſmittunt, famam virtutum retinent, ac pro-propagant. Vt tempus natura ſua fluxum eſt ac volubile, ita res omnes, quæ geruntur in tempo-

re

re diſpereant eſt neceſſe, niſi beneficio literarum æternitatem ſibi ſortiantur. Quantulum illud tempus fuit, quo IOANNES TARNOVIVS, Petrum Valachum fudit? aut illud quo IOANNES ZAMOSCIVS, hoſtes in Liuonia profligauit? attamen poſt diſceſſum eorum, ex hac vita ad immortalitatem, tantæ res geſtæ ac victoriæ, in terris nullis cineribus obrutæ viuunt, & monumentis literarum commendatæ, celebrantur. Regna florentiſſima occidunt, in ſuis ruderibus proſtrata Mauſolæa jacent, mundi miracula, nullum in terris veſtigium habent; auguſta Capitolia vbi nunc glorioſiùs, quàm in literis reſident ac conquieſcunt? Tam breuibus & minutis apicibus literarum, tam res variæ, reconditæ, multipliceſq́; notantur, vt vno in loco conſtitutus homo, totum quaſi orbem inhabitare videatur! Cœlum penetrant literæ, abyſſos ingrediuntur, terræ viſcera ſcrutantur, penetrant maria, ſidera deniq́; metiuntur ac dinumerant! Tuum hoc eſt beneficium, tuum munus atq́; decus, Alma bonorum parens ingeniorum Academia? tuæ ſunt iſtę dotes, tua laus, tua gloria ſempiterna. Tu cultu-

ram

ram ingenijs, pietatem templis, ſapientiam exedris, eruditionem gymnaſijs, eloquentiam Comitijs, prudentiam Senatui, potentiam, ſplendoremq́; ſceptris, victorias & triumphos exercitibus Polonis inſpiraſti, infudiſti. In tuo ocio, ſemper es laborioſa; in quiete vigilans, & operoſa; in tranquillitate anxia; vbiq́; per tuos alumnos, per tuos bonarum partium & artium Ciues, pro legibus, pro libertate, pro patria, pro Eccleſia, pro Religione ſollicita. Itaq́; quæ beneficæ ſunt, etiã beneficium requirunt Camœnæ, gratæq́; mentis ſignificationem, jure ſuo depoſcunt, ac deſiderant. Nam & ipſæ, niſi meritis, ad laborioſam bonæ mentis palæſtram ducantur, ingrato quodam torpore vileſcunt, & ipſæ ſibi diſplicent. Nimirum tenellæ ſunt illæ virgines, vel ita delicatæ, vt niſi in ſummis fauoribus principum, vigere non poſſint; & omninò ejuſmodi, vt nullum ſui contemptum, ferre poſſe videantur. Neq́; verò inſultet literis, literatiſq́; viris, neſcio quis, dentatus Licinius; neq́; quiſquam Sannio,

---------- de gente hircoſa Centurionum
Dicat; quod ſatis eſt, ſapio mihi: non ego curo,

Eſſe

Esse quod Arcesilas; ærumnosiq́ Solones,
Obstipo capite, & figentes lumine terram,
Murmura cum secum, & rabiosa silentia rodunt,
Atq́ exporrecto trutinantur verba labello,
Ægroti veteris, meditantes somnia: gigni
De nihilo nihil, in nihilum nil, posse reuerti.
Hoc est, quod palles? cur quis non prandeat, hoc est.
His populus ridet, multumq́ torosa juuentus,
Ingeminat tremulos, naso crispante cachinnos.
Heus bone, tu palles? nihil est. Videas tamen istud
Quicquid id est, surgit tacitè tibi lutea pellis.
At tu deterius palles: ne sis mihi tutor.
Sed tremor inter vina subit, calidumq́ trientem
Excutit è manibus: dentes crepuere retecti.
Vncta cadunt laxis, tunc pulmentaria labris.
Hinc tuba, candelæ; tandemq́ beatulus alto
Compositus lecto; craßisq́ lutatus amomis,
In portam rigidos calces extendit: at illum
Hesterni capite induto subiere Quirites.

Quemadmodum igitur colores, in ipsis rebus inhærentes, clausi ac tecti tenebris, non nisi splendore luminis patefiunt: ita animi nostri immortales, corporibus veluti nube obtecti, doctrinarum

atq; literarum radijs illuſtrantur: vt ex deſidiæ tenebris, in apertam veritatis lucem erumpant, ſe ipſis, in dies magis ac magis clariores, ac perfectiores; donec ad ſummam illam ac perfectam ſui naturam, ſupremi luminis beneficio, penetrent, & euadant. Quid enim per Deum immortalem? animos hominum magis excolere, tutiuſq; poteſt in ſtatu perfecto collocare? quam iſta ipſa gymnaſiorum erectio, vbi Muſæ liberalitate, viri docti, fauore, gratia, humanitate, aluntur, educantur, beneficijs, illuſtrantur. Porrò erigere Lycæa Muſarum, auguſta ſapientiæ reficere templa, florenres colonias, ab Academijs deducere, Profeſſores nobiliſſimarum artium, inſtituendæ iuuentutis gratia fouere, & liberaliter dotare, loco ſaluberrimo, menſa honorifica, muneribus digniſſimis ornare, ac retinere, hoc inquam regium, & perauguſtum munus eſt. Hoc *Ptolomæus*, Lagi filius prouidit, qui Bibliothecam illam clariſſimam, omnibuſque Græcorum authorum voluminibus refertiſſimam, Alexandriæ collocauit. Hoc ſibi volunt, effuſi illi ac liberales ſumptus, in eruditiſſimos bonarum artium

tium

tium Professores, *Alexandri, Iulij Cæsaris Octauij, Augusti, Vespasiani, Hadriani, M. Antonij, Neruæ, Aëlij Veri, Aurelij, Antonini Pij, Antonini Philosophi, Pertinacis, Septimij Seueri, Perrenij Nigri, Opilij Macrij, Clodij Albini, Alexandri Seueri, Gordiani Patris & Filij, Gallieni, Theodosij, Federici Secundi, Sigismundi Rom. Imp. Cozdroë Regis Persarum, Iubæ Mauritaniæ Regis, Zentæ Dicenæi, Alphonsi Aragoniæ, Caroli Magni, Roberti Galliarum, Zalmaxis Gotharum*; qui omnes & ipsi literas impensè coluerunt, & viros literis doctrinisq; deditos, pręmijs amplissimis ornarunt, illustrarunt. Videbant enim & tempestiuè prouidebant, isti Sapiētissimi Orbis Principes, paratiores se, suosque successores, eo modo ad Remp. accessuros, cum ex illa bonarum disciplinarum officina, tum salubris sibi, Senatuique suo, consilij vis atq; copia, ad rectè gubernandum, tum vulgo ad prompte parendum, disciplina, velut præsens medicina, suppeteret. Quid tam porrò regium, tàm liberale, tàm munificum, possit videri, quàm gloriam rectè factorum, virtutumque memoriam, neque

isto breui spatio vitæ, neq; vnius alicuius regionis cancellis contineri? Quid enim posteris, quid Reip. vtilius, quàm præclara fortium virorum facinora, & Ciuilia, & bellica, in recordatione hominum versari sempiterna? Quis præterea, vel saltim leuiter non commoueatur, *Mutij*, *Sceuolæ*, *Curtij*, *Deciorum*, *Scipionum*, *Reguli*, *Camilli*, *Fabij*, *Annibalis*, *Cyri*, *Codri*, *Themistoclis*, *Epaminundæ*, *Lysandri*, aliorumq; eius generis memorabilibus, Latinorum, Græcorum, veterum,ac recentium, exemplis, qui fortiter pugnantes, pro patriæ libertate, occubuerunt gloriosè? Atqui horum omnium, spectata virtus, & clarissima facinora euanuissent, neque ad posteritatis memoriam, peruenire potuissent, nisi fuissent bonarum literarum consignata monumentis? Quid de belli artibus dicam? hoc est instrumentis, non illis quidem, quæ manu & arte opificum fabricantur; hastis videlicet, gladijs, pilis, scutis, loricis, arcu, atq; sagittis; sed quibus in obsidione, vel oppugnatione vrbium, in fossis faciendis, vallo ducendo, agendis cuniculis, fluminibus adducendis, vel auertendis, machi-

nis

nis tormentisque bellicis admouendis, aut leuandis, legionibus instruendis, stationibus collocandis, castrorum metationibus artificiosè obijciendis, cæterisque præsidijs, quibus prudentes Imperatores vti solent, nonne ista omnia, litteræ proponunt, conseruant, docent? Quicunque igitur Principes, Camænas magnifica liberalitate, è Parnasso euocant, illi ipsi moribus, culturam & humanitatem, ingenijs industriam, & eruditionem inspirant: templum deniq; erigunt Religioni, pietati, iustitiæ, consilio, paci atque honestati: sibi insuper nominique suo gloriam conciliant immortalem. Hæc & alia longe nobilissima literarum decora, hæc emolumenta pulcherrima, hos fructus amplissimos, spectasti Illustrissime Domine, Mæcenas literarum & literatorum perquam prædicande, ac ideò prudētissimo consilio, in hac Tua Ciuitate, commune Athenæum, & nouam ingeniorum Coloniam excitasti, in qua studia Academica, summo cum profectu, vicinorum populorum tractarentur. vidisti artium necessitatem, perspexisti loci commoditatem, intellexisti florentissimæ iuuentutis desideria, ex

re fore, si in his quoq; locis, commune quoddam Prytaneum erigeretur, in quo nobilium liberi bonis disciplinis, ad pietatem, humanitatem, morum elegantiam, eruditionem formarentur. Nec distulisti pulcherrimam & vtilissimam cogitationem Tuam, sed eam subito, celerrimo effectu perfecisti, confirmasti. Non es passus, hac quoque laude, Te Illustrissime Domine, ab alijs superari; qui hisce temporibus, erexerunt gloriosè & magnificè, in suis quoq; ditionibus, Academicas Colonias, ne vllum esset bonæ gloriæ vestigium, quod Tu auspicatissimis passibus non effinxisses. Itaq; bellicæ Tuæ laudes, celebrabuntur illæ quidem non solùm nostris, sed penè omniū gentium literis, atq; linguis, neq; vlla ætas, de Tuis laudibus conticescet: sed tamen, eiusmodi pietas, quàm erga Camænas liberalissimè probasti, ab omni posteritate, decantabitur. Enumerabit, & suspiciet, im̃ortalitas ipsa, victorias Tuas celeberrimas, de Patrię immanissimis perduellionibus susceptas: sed neq; ingrato silẽtio sepeliet ingeniosè armatam Palladem, quam in animis rudibus excitasti. Narrabit prostratos toties fugitiuos

Scythas,

Scythas, turgidum & vecordem Abasy Bassam, à finibus Patriæ repressum, milites leuioris armaturæ, prudentissimis legibus circumscriptos, cæterasque Tuas victorias, felices & admirandas, commemorandis monumentis celebrabit: sed hanc vnam maximeque propriam gloriam, esse affirmabit, quàm non militum virtus, sed Tua liberalitas; non centurionum dexteritas, sed Tua sapientia; non locorum opportunitas, in bellis, sed huius Ciuitatis fortuna, in pace, Tibi cõcessit. Reflorescet breui optimis auspicijs, hoc Musæum, ad celebritatem, bonorum ingeniorum profectum, atq; gloriam immortalem. Ergò Deus Optimus Maximus, qui Tuo nutu, & arbitrio Patriam, & Ecclesiam regis ac gubernas, hanc nouellam plantationem, Tua benedictione, refice & imbue, vt hinc boni Patriæ ciues, fortes milites, Pij Sacerdotes enascantur; Familiam verò KONIECPOLSCIORVM, florentem meritis, crescentem virtutibus, propagatam gloria, sine vllis terminis, ad immortalitatem promoue, ad hostium terrorem, Ecclesiæ præsidium, Poloniæ decus, & ornamentum. Iungite vota vestra

Sarma-

Sarmatici Indigetes, Tuq́ue Sanctiſsima Dei Parens & Virgo, vt hoc totum liberalitatis pignus, ad bonas literas propagandas, erogatum, ſit fælix, fauſtum, ac fortunatum. Creſcant hæ Brodenſes Athenæ, viris eruditiſsimis; florentes exedræ careant inuidia, odijs, ſimultatibus importunis. Vigeat hic candor, ſine fuco; virtus, ſine ſupercilio, & rigore; eruditio, ſine contemptu; pietas, ſine ſimulatione; morum grauitas, probitasq́; ſine cruditate. Sint beatæ, ſint fælices, ſint amęnæ Brodenſes Camęnæ; cōcipiat ac retineat, laborioſa juuentus, meliorem liberalioremq́; de bonis literis ſenſum; conſideret vigilias, labores, lucubrationes, conatus, quos viri literati ſuſcipiunt, quos perferunt alacriter; vt tandem in his patentibus Ruſsiæ regionibus, Pallas armata eniteſcat, & excitetur, ad Illuſtriſſ. Patroni ſolatium, Ciuium, vicinorumq́; emolumentum, Almæ Academiæ incrementum, atq́; potiſsimum, ad Dei Opt: Max: gloriam ſempiternam. Dixi.

i Fa-
nus,
t fæ-
Bro-
exe-
por-
sine
ptu ;
obi-
, sint
neat,
q́; de
ores,
usci-
n his
eni-
um,
æ A-